



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divus Sebastianus Eberspergæ Boiorum Propitius, Seu
Cultus Eiusdem Gloriosi Martyris à Prima Loci Fundatione
Ad Nostra Usque Tempora Propagatus, Et Nunc Publicæ
Luci Datus**

Widl, Adam

Monachij

Caput II. Gesta sub Ratholdo Sighardi Filio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37233

CAPUT II.
GESTA SUB RATHOLDO,
SIGHARDI FILIO.

§. I.

EBERSPERGA SUB HUNNIS INVICTA.

Sighardo successit Ratholdus filius, uti paternarum opum, ita pietatis transfusæ aptus natus heres. Habet hoc plerumque magnus sanguis, ut non facile degeneret, sed suum etiam colorem in posteris servet, præsertim si per exempla propagetur. Vestigiis igitur parentis institurus Ratholdus primas intercuras habuit, ut juxta vaticinia Sighardo facta, adversus irruptiones Hunnorum arcem suam in dies firmiorem redderet. Quare nihil in expertum omisit, quò minùs ad leges artis militaris locum, quantum

posset celeritate, muniret, ne hostes imparatum invenirent, qui magnas jam copias instruere dicebantur. Id, quod paulo post eventus ostendit: Nam sedibus suis exciti, rursus Germaniæ, torrentis instar, se infuderunt. Incredibile dictu est, quas clades ubique dederit gens ferox. Gothi & Vandali præ istis laudem aliquam modestiæ habeant, si quis comparare velit eorum rapinas, flammæ & cædes passim exercitas. Nulla illis humani sanguinis reverentia, nihil sacrum, nihil miseratione dignum visum: quæ quæ occurrebant, metebant: quæ secum rapere non poterant, incendiis corrumpebant: Cœnobia, Arces & oppida evertabant, nullius, qui se opponere auderet, metu, nullius, qui succurreret, auxilio. Stetit tamē inter tot fumantis Patriæ busta, & grandes ceterorum Castellorum ruinas, inter tot lapidum acervos, & procumbentes Nobilium Arces

Иррупция
Иррупция в
Войсках.

Arcis Eberspergensis
firmitas

Ebersperga hostium secura, atque etiam invicta; hostem ridebat ex alto, non ut verisimile est proprio robore, siu aut viribus, sed magnæ Christianorum Bellonæ, quæ terribilis ut Castrorum Acies ordinata dicitur, tutelâ, ac præsidio freta. Intererat scilicet Mariæ, sua tueri, & Eberspergam modicis principiis assurgentem nuper Virgineo honori dedicatam ab hostibus immunem servare.

§. II.

RATHOLDI PIETAS ET RELIGIO. INTRODUCTIO RR. DD. CANONICORUM REGULARIUM S. P. AUGUSTINI EBERSPERGAM. EIUS ET CONJUGIS EGILMUNDIS PIA MORS.

Non tantum miles erat Ratholdus manu strenuus ac felix, verum etiam Religione commendabilis.

Ejus & Conjugis Egilmundis pia mors. 83

dabilis. Et ob res quidem adversus
hostes ope Bojorum & Suevorum
bene gestas, Conradus Rex, Ludo-
vici Successor Ratholdum Carin-
thiæ Marchionem dixit, qui honor
victoriarum præmium fuit. Pa-
catâ subinde Provinciâ mox ad am-
plificandum divinum cultum con-
versus Ratholdus, ut Mariæ con-
servatrici suæ gratum se exhiberet,
dimissis, qui huc usque divina in
Sacello procurabant, perquam ho-
norificè Sacerdotibus Secularibus,
qui primi hîc loci erant, novum
aliunde præstantium Virorum sub-
sidium Eberspergam accersivit, pro-
bè gnarus, Religionem tantò ma-
jora incrementa sumpturam, quan-
tò nobiliora forent instrumenta,
quibus ea promoveretur; Nam
famâ quoque Virtus stare solet.

Advenère Eberspergam Patres
Canonici S. Augustini Religione &
Doctrinâ insignes Anno partæ Sa-
lutis DCCCCXI. erântque tales,

F 3

qui-

*Adventus
RR. DD.
Canonicorum Regu-
larium S.
Augustini
Ebersper-
gam.*

84 *Ratholdi pietas. Introd. Cā. Reg. S. Aug.*
quibus magnifica loci præfagia ab-
undè conveniebant. Iis datus in
Præpositum est Hunefridus, vir non
minùs vitæ Sanctimoniâ, quàm li-
teraturâ & scientiâ venerabilis. Ma-
gna quidem moliebatur animo Ra-
tholdus ædificia, quæ tamen par-
tim iniquitas temporum morabatur,
partim etiam mors, sæpè Magnis
præpopera, ut fieri solet, prævertit.
Nisi dicere velimus, non Rathol-
dum (perinde uti olim Davidem)
sed Salomonem, hoc est, Eberhar-
dum, ejus filium natu majorem,
sanctè cælibem, & Superis charum
caput tanto perficiendo operi, ad
DEI templo ædificando à DEO fu-
isse præ illo delectum. Interim ta-
men, quantum tum quidem licebat
domiciliu[m] extemporaneu[m] à pro-
fanis ædibus secretum optimis Pa-
tribus extructum, & à Ratholdo
eiu[m] propriu[m], traditum est, dum
illis angustiis novu[m] & amplu[m]
Cœnobiu[m], quod animoolvebat
sub-

substituetur. Verum palatia non requirebat Religiosa & paucis contenta Charitas: amabat illa cum apibus angustè habitare, & spatia magis virtutis, quam locorum dilatare studebat, crescebatque in dies Eberspergæ divinus cultus, in omnem Bavariam famâ virtutum exeunte.

Respexit vicissim divina Bonitas Ratholdi beneficentiam, quando illum in terra quoque fecit beatum: Nam ingentibus bonis, titulis ac honoribus ipsum locupletavit, & præstantis sobolis fecit parentem, ne deesset ex liberali stemmate, qui Ecclesiæ DEI beneficeret. Suscepit ex Egilmunde, patris prosapia, & Nobilitatis matrona filios duos, femellam unam. Eberhardus natu major erat, minor Adalbero. filia Wiliburgis appellabatur, omnes insignes.

Verum, quæ humanarum rerum miseria est, communi mortalitatis

Mors Ratholdi Comitis.

F 4 lege

86 Ratholdi pietas. Introd. Can. Reg. & c.
lege statuta, non licuit admodum
diuturno esse Ratholdo: rebus nam
que fortiter in Carinthia, uti Herois
decebat, gestis, non multo post in le-
thalem morbum incidit, ex quo eti-
am obiit. Antequam exspiraret,
Eberhardum filium successorem di-
tionis Sempræ & Castri heredem
constituit, Adalberoni natu mino-
ri filio, & Wilibirgæ reliqua bona
quantum ex illis decebat, & satis vi-
debatur, attribuit. Obitus viri bel-
licosus incidit, juxta nostras tabulas
quas sequor, quicquid dicat Aven-
tinus, in XIII. Calendas Februarii
Anni à Christo nato DCCCCXIX.
Anno ab obitu parentis Sighardi
tertio decimo.

*Obitus Egil-
mundis Con-
jugis.*

Egilmundis Uxor Anno uno pri-
or vitam finiit, videlicet Nengen-
tesimo decimo octavo, XIII. Ca-
lendas Januarii. Sepulturam ambo
accepisse scribuntur perquam ho-
noricam Salisburgi, quod anti-
quæ fidei relinquo.

CA.